

Isatidum ui-
res ex Gal.

Nomina.

in Umbria circa Noceram, ubi oppidum est Guadum ideò appellatum, quod ibi Isatis frequentissima seratur. Glaustum sylvestre Plinio inter sylvestres lactucas recensetur lib. x. cap. v. quippe quod illi non sit absimile. Fit ex Isati de ceruleus ille color pictoribus expetitus, quem Indicum uocant, de quo diffusius lib. v. suo loco differemus. Meminit utriusq; Isatidis Galenus lib. v. 1. simpl. medic. sic inquiens. Isatis sativa, qua utuntur tintores, facultatis est ualenter excitantis, nondum tamen mordentis: est enim simul amara, atque adstringens. At Isatis sylvestris manifeste iam acre quiddam tum gustu, tum actione praesert. Proinde quam sativa ualentius desiccans, ualentius etiam humidis putredinibus obficit. Planta Græcis ισάτης ἡμέρα, Latinis Glaustum sativum nominatur: Italis, Guado domesticus. Que uero Græcis ισάτης ωγεία, Latinis Glaustum sylvestre, & Italis Guado saluatico appellatur. Vtrumq; Glaustum uocant Mauritani Dili, Dilig, Vesme, Chate, Chatis, seu Alchat, Adlen, aut Adhlen, & Nil: Germani, Vuidt: Hispani, Pastel: Galli, Pastel de languedoc.

Τιλέφιον. TELEPHIVM.

CAP. CLXXXI.

TELEPHIVM herba portulacæ simiis, & caule, & folijs: alas binas in singulis foliorum geniculis annexit: ramuli à radice seni, septenive prodeunt, folijs reserti cæruleis, crassis, lantis, carnosis: flore luteo, aut candido. Nascitur in cultis, & maximè inter uites tempore uerno. Folia senis horis illita albam vitiliginem sanant: sed postea hordeacea farina illini debet. perunctam ex aceto etiam in sole vitiliginem tollunt: sed ubi inaruerunt, absterguntur.

Telephij con-
sideratio.

QUANQVAM non defunt rei herbarie periti, qui existimunt, Telephium eam esse stirpem, quam quidam 20 Fabariam, alij Fabam pinguem seu crassam, quidam uero Fabam inuersam appellant; cum tamen nulla reperiatur

FABARIA.

Telephij ui-
res ex Gal.

Nomina.



qualitate prædicta, qua abstersorie, siccantiisq; facultatis particeps dici posit, ut Galenus Telephium esse testatur, foliaq; proferat portulacæ longè maiora, eorum sanè sententie plane adstipulari non ausim: tametsi ea compluribus notis Telephium referre uideatur. Telephij uires memorie prodidit Galenus lib. v. 111. simplicium medicamentorum, ubi ita scribit. Telephium exiccati, & detergendi facultate est, non tamè insigniter calida: uerum in hoc forsitan quispiam ipsum primi esse ordinis censeat. Desiccata tamen secundo ordine intenso, aut certè principio tertij: proinde ad putrida ulcera conuenit, & leucas, & albos cum aceto sanat. hactenus Galenus. Cæterum illas quidem Telephij qualitates haud reperies in Fabaria nostrate; et si h. c. (ut paulò ante diximus) notis pluribus proxime ad Telephij historiam accedit, ut eius pictura, quam hic damus, aperte satis demonstrat. At si facultates tantum obstant, quò minus ea planta Telephium & esse, & dici mereatur, in hoc illa ratio non parum ponderis habitura est, qua superius ostendimus, uerum Chelidonium minus herbam illam esse, quam in eius mentione depictam exhibuimus. Nam si Arum, teste Galeno, ijs caret facultatibus in Italia, quibus in 40 Græcia prædictum est, nil mirum uideri debet, quod & aliae plantæ cum solo uires mutauerint suas, ut illi plantæ, & huic Fabaria dictæ facile euensiſſe sufficendum est. Velim tamen in his, ut in alijs quoq; dubijs plantis, suum eūq; esse iudicium. Herba, que τιλέφιον Græce, Telephium item Latinè dicitur.

LIBRI SECUNDI FINIS.